



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. De qualitatibus requisitis in promovendis ad beneficia, præsertim
errata in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITULUS XIV.

DE ÆTATE, ET QUALITATE, ET ORDINE PRÆFICIENDORUM.

§. I.

De qualitatibus requisitis in promovendis ad beneficia, præsertim curata in genere.

EX dictis jam patet, quod in omnibus promovendis ad beneficia requiratur, scientia conveniens officio, morum honestas, & legitima ætas, prout etiam patet ex *c. eam te 4. h. t.* ita tamen, ut qui dignus & idoneus censetur ad sacros ordines suscipiendos, regulariter etiam idoneus censendus sit ad beneficium Ecclesiasticum, prout sumitur ex *c. accepimus 13. h. t.* (nisi post ordinationem, nova primùm causa superveniret, quæ indignum ad beneficium legitime ordinatum faceret) neque talis pro ordinibus ab Episcopo examinatus, iterum ab eodem pro beneficio (cæteris paribus) est examinandus, nisi ratio & qualitas beneficii majorem idoneitatem requirat.

§. II.

Quæ ætas requiratur in præficiendis, seu promovendis ad beneficia Ecclesiastica, & quis in illa dispensare possit?

QUAMVIS de jure naturali illa ætas ad beneficium requiratur, quæ necessaria est, ad exequendum officium, propter quod illud datur, prout sumi potest *Compend. Pirhing.*

ex *c. 3. h. t.* de jure tamen positivo certa ætas ad pleraque beneficia statuta est, ita ut ipso jure nulla sit collatio beneficii, ante requisitam ætatem facta. Requiritur autem certa ætas nonnunquam per se, & directè, prout beneficium curatum exigit, 24. annos completos; nonnunquam per accidens, & consecutivè, prout ad Canonicatum illa ætas requiritur, quam requirit ordo Canonicatus tali annexus. Differunt quidem in plerisque jus antiquum, & jus novum Tridentini; hodie tamen, ubi Tridentinum peculiare quid à jure antiquo statuit, sequimur jus Tridentini, ita tamen, ut salutum maneat jus antiquum, ubi Tridentinum nihil peculiare statuit. Sic primò ad Cardinalatum, & Episcopatum requiritur ætas 30. annorum completorum, prout sumitur ex *Trident. sess. 24. c. 1. de refor.* secundò ad dignitates, & personatus, quibus nulla animarum cura subest, volunt aliqui de jure antiquo 14. annum sufficere *c. indecorum 3. h. t.* Alii volunt requiri 25. annos saltem inchoatos *c. cum in cunctis 8. inferiora de elect.* & *c. uni. h. t. in 6.* juxta Tridentinum tamen, quod hodie observari debet, sufficiunt, & requiruntur anni 22. completi, sive dignitates illæ & personatus sint Ecclesiarum Cathedralium, sive Collegiarum, cum jura universaliter loquantur. Terriò: ad Ecclesias Parochiales, & Vi-